

/ Rob. Bellarmino Cardinali M. Ant. Bonciarius S.D.

Ante biennium cum misi ad te meum librum epistolarum, omis-
sum à meis fuit per incuriam, quod ego simul mitti volebam, imo et
scripseram nos misisse, Votum Deiparae Virgini dicatum in sacra
5 aede Lauretana. Illud ego nunc tandem repraesento cum valde gran-
dibus, utinam pariter bonis duorum annorum usuris. Sed enim (quae
inopia mea est, et quae tua copia) suspicor interdum facile fore,
ut ista tibi sordescant, et me prudentius fuisse facturum, si pro-
missa nunquam implerem, et nec lucrum dependerem, nec sortem. Adeo
10 fortasse cum poëta dicturus es

- Horum

Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Utcumque autem casura esset res; putavi hoc quasi aes alienum
mittendis versibus à me dissolvi oportere. Primum enim malebam m
15 meum ingenium abs te accusari, quam fidem. Deinde sic opinabar, si
carmen tibi viro longe doctissimo displicuisset, idem ad me cum
multo castigationis foenore rediturum. Deus tuas virtutes Ecclesi-
ae gubernandae quam misericorditer praeposuit, tam feliciter tuea-
tur et provehat. Perusiae, nonis novembris.

20 Epistolarum M. Antonii Bonciarii libri XII. Perusiae, 1613. lib. VIII
epist. 2, p. 436-437.